ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT: PS. DIONYSIUS AREOPAGITA. PS. ORIGENES. PS. EUSEBIUS CREMONENSIS. PS. AUGUSTINUS. PS. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS. ANSELMUS CANTUARIENSIS. PS. ANASTASIUS SINAITA. HONORIUS AUGUSTODUNENSIS. ROBERTUS REMENSIS. THEOBALDUS DE SEXANNIA. HENRICUS DE LANGENSTEIN. IOHANNES MAGISTER. BONAVENTURA. IOHANNES DE FONTE. PETRUS LOMBARDUS. U.A.

6. Jahrzehnt 15. Jh. Seite 18v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36940
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



fac ut de hoc pauperes gaudeant
Quod templum est carius deo quam
homo. Templum dei estis vos inquit
apostolus. Cum pauperi manum tri-
buis. Cum viro in suis necessitatibus
subvenis. Cum errantem ad veram
viam ducis. O quam admirabile et no-
bile ac deo gratum templum edifi-
casti. Frange esurienti panem tuum
et egenos vagosque induc in do-
mum tuam. Cum videris nudum
operi eum et carnem tuam ne de-
spexeris. Nemo se excusans di-
cat. Non habeo quid pauperi fratri
tribuam. Si vestimentum ut aliquid
ultra extremam necessitatem possides
et pauperi indigenti non subvenis
fur es et latro. Simus dilectissimi
filii in rebus temporalibus solum dis-
pensatores et non possessores.
Si quid superfluum quo alter fratrem
egeat possideamus furemur. Immo
minus furatur aliquis ex inopia et
necessitate. Nam iste tantum vult necessitatem
retinet quo centum vivorent
qui fame pereunt. Ille uni fur-
tum facit. Iste tot quot non con-
donat patientibus necessitatem.
Dices forte miser meum est.
Nam mei dimiserunt
hoc parentes. Sed si hoc tibi tui
miserunt parentes quomodo potu-
erunt tibi dimittere quod suum non
erat. Ast si suum erat inquies.
Unde habuerunt. Quis dedit
eis. Quid in mundum venien-
tes apportaverunt. Certe que
pauperum possidemus in die iu-
dicii coram oculis divine iustici-
e vindictam exclamabunt. Qui habet
aures audiendi audiat. Qui
mihi non vult credere. Heu quam gra-
vius sciet cum divitie sue trans-
ierint in egestatem. Lex naturalis
hoc precipit ut quod ab aliis de-
sideramus alio faciamus. Quid
aliud lex vetus predicat. Quid
aliud lex evangelica insinuat
pertractare undique. Quia coram
deo utraque lex feret testimonia.
Quid ergo dicam de hiis qui
solum lapides congregant et mu-
ros erigunt in altitudinem. Quorum
est cor et humana cogitatio.
Ut humanis oculis opus appareat
laudetur beneficium et totam hic
suam forte arbitrantur iusticiam.
Sunt etiam aliqui qui
de rapinis et sudore
pauperum oblationes et victimas
deo offerunt. Tales oblationes
ante divinam clementiam non parum
sunt abhominabiles. Quis tam
insipiens ut non intelligat
quod talia beneficia non cedunt ad
dei laudem sed ad mundi pom-
pam. Si quis diceret. Quid dicis.
Nonne bonum est edificare
monasterium ut inde honoretur deus.
Ad quod ego bonum est. Dum
modo violentia pauperes non
sint passi nec interpellent deum
contra eos. Quomodo possum edifi-
care domum deo placitam vel
sanctis eius ex illis pecuniis
de quibus pauperes plorant. Qua-
lis iusticia potest esse munerare
mortuos et spoliare viventes
et indigentiam deo offerre pauperum